

No. 37. 1090. 14. Febr.

Kaiser Heinrich IV. schenkt der Stiftskirche das Lehen eines gewissen Cos im Burgwart Nimucowa und das Dorf Wiscani im Gau Thalaminci.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia tertius Romanorum imperator augustus. Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam praesentibus, qualiter nos pro remedio animae nostrae et per interventum fidelium nostrorum Hartwigi Magdeburgensis archiepiscopi, Cōnradi Tragetensis episcopi, Bennonis Misinensis episcopi, laicorum vero Wieberti, Hemmonis, Werinheri, quicquid quidam miles marchionis Heinrici nomine Cōs in beneficium habuit in burewardo Nimucowa^{a)}, insuper villam unam Wiscani^{b)} vocitatam, sitam prope fluvium Gana in regione Thalaminci, in comitatu vero Heinrici marchionis, Misinensi ecclesiae in proprium tradidimus cum omnibus appendiciis, hoc est areis, aedificiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, silvis, venationibus, viis et inviis, quaesitis et inquirendis seu cum omni utilitate, quae ullo modo inde provenire poterit, ea videlicet ratione ut praefata Misinensis ecclesia deinceps liberam potestatem habeat eadem bona possidere, obtinere vel quicquid ad suam utilitatem sibi placuerit inde facere. Et ut haec traditionis auctoritas semper inviolata permaneat hanc cartam inde conscribi et sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domini Heinrici tertii Romanorum imperatoris augusti. (L. M.)

Humbertus cancellarius vice Rōthardi archicancellarii recognovi. (L. S.)

Data est XVI. Kal. Mar. anno ab incarnatione domini millesimo nonagesimo, indictione XI., anno autem domini Heinrici, regni quidem XXXVI., imperii vero VII. Actum Spirae in Christi nomine feliciter amen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; das aufgeklebt gewesene Siegel ist abgefallen. Obschon in dieser und den folgenden Urkunden weder die Indiction noch die Angabe der Regierungsjahre richtig sind, ist die Aechtheit derselben nicht zu bezweifeln.

Schoettgen Nachl. VII. S. 394. — Seyffarth ossileg. Benn. p. 47. — Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 22.

a) Mochau an der Jahna bei Döbeln. b) Dürreweitzschen, Par. Mochau.

No. 38. 1091. 17. Mai.

Kaiser Heinrich IV. eignet der Stiftskirche sechs Dörfer in den Gauen Nisani und Milce.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus favente dei clementia tertius Romanorum imperator augustus. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris quam praesentibus, qualiter nos pro remedio animae nostrae et per interventum fidelium nostrorum Cunradi regis dilecti filii nostri, Lietmari Bremensis archiepiscopi, Reinheri Vercellensis episcopi, Erpfonis Monasteriensis episcopi, Cunradi Tragetensis episcopi sex villas, unam in provincia Nisani in burgwardo Wosice, quae vocatur